



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### **Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.


We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.


### **About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

NYPL RESEARCH LIBRARIES




3 3433 07596963 8



SW  
Styrain







**DISSERTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,**

1823

DE

**SEPARATIONE THORI  
ET MENSÆ.**

21



THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY

1914

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY

**DISSERTATIO JURIDICA  
— INAUGURALIS,**

**DE**

**SEPARATIONE THORI  
ET MENSÆ.**

**QUAM,**

**ANNUENTE SUMMO NUMINE,**

**EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,**

**MATTHIÆ SIEGENBEEK,**

**A. L. M. ET PHIL. DOCT.,**

**LITT. BELGICARUM ET HIST. PATRIÆ. PROF. ORDIN.,**

**NEC NON**

**NOBILISSIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ DECRETO,**

**PRO GRADU DOCTORATUS,**

**SUMMISQUE IN JURE ROMANO ET HODIERNO**

**HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,**

**IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,**

**RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,**

**DEFENDET**

**FLORENTIUS GULIELMUS VAN STYRUM,**

**HARLEMENSIS.**

*Ad diem 25. Novembris MDCCCXXIII. Hora II—III.*


---

**LUGDUNI BATAVORUM,  
APUD L. HERDINGH ET FILIUM,  
MDCCCXXIII.**

THE NEW YORK  
PUBLIC LIBRARY  
P134008  
ASTOR, LENOX AND  
TILDEN FOUNDATIONS.  
1908

P A T R I O P T I M O

S A C R U M.



*DISSERTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,*

D E

SEPARATIONE THORI  
ET MENSAE.



INTRODUCTIO.

**P**aucissima sunt negotia quae tanti momenti sint saluti atque felicitati civitatis quam matrimonia; pauca igitur sunt quae attentione et cura legislatoris tam digna sunt. Si naturam et indolem matrimonii indagemus, videtur ille contractus debere constare usque ad mortem alterutrius conjugis. Cum vero homines tam corrupti sint, ut ne illud sanctissimum quidem vinculum eos retineat, tum etiam quia multa

A

ma-

matrimonia inconsulte et imprudenter contrahuntur, inde dissensiones domesticae ortae sunt, adeo ut sese invicem saepe saevitiis et injuriis obruant, et illa conjunctio cujus finis erat amorum felicitas, adeo mutetur ut vita communis facta sit intolerabilis. Officium igitur legislatoris est his providere; cujus mali nullum aliud remedium adesse videtur, nisi quod conjugibus facultas detur divortium faciendi si-ve vitam separatam agendi. Divortium per se spectatum certe malum est tum conjugibus ipsis, tum liberis; adhibendum tamen est ut majora mala praeviantur.

Cum autem lex omnes religiones in civitate tolerare debeat, quae non contrariae sunt bonis moribus, omnibusque civibus aequaliter favere, eosque tueri, imperfecta atque maxime injusta fuisset lex, si non etiam iis providisset, qui Religionem Catholicam profitentes, matrimonium habent vinculum indissolubile. Illi igitur Religionis Catholicae sectatores remedio divortii

uti

uti non poterant, et si causae divortii apud illos locum habebant, eligendum iis fuisset, utrum vellent contra conscientiam divortium facere, an pergere in agenda vita communi miserrima et quotidie domesticis odiis atque dissentionibus disturbata. Hisce rationibus moti recte Legislatores aliud remedium in illorum favorem introduxerunt, scilicet separationem thori et mensae, qua conjugibus liceat separatim vivere, vinculum tamen matrimonii remanet. Quod autem illud remedium non tam efficax neque tam utile sit quam divortium facile patet: divortio matrimonium rumpitur, separatione thori et mensae vero tantum cohabitatio dissolvitur, et vinculum matrimonii remanet, sed quid est illud vinculum cum quisque conjugum separatim vivat, cum bonorum communio etiam dissolvatur?

Porro divortio facto conjuges spem habent novam conjunctionem legitimam fortasse feliciorum ineundi; adhibita vero separatione thori.



et mensae ambo conjuges ad caelibatum condemnantur, et ne conjux innocens quidem frui potest bonis et commodis legitimae conjunctionis. Injuria igitur, nostrâ quidem sententia, rex Galliae LUDOVICUS XVIII. lege 8 Maji 1816. divortium abolevit.

Unicum commodum tamen quod separatio thori et mensae prae divortio habeat, est quod remaneat spes reconciliationis conjugum; experientia vero docuit multas separationes, paucas vero reconciliaiones locum habuisse: neque mirum conjuges qui moribus atque indole tam diversi erant, ut saevitiis injuriisque talibus uterentur, quae separationem necessariam redderent, non facile rursus conjunctionem inire velle, quae illis miseriarum uberrima fons fuit.

Quamvis igitur divortium prae separatione thori et mensae feram, illa tamen mihi materia satis digna visa est de qua dissertationem qualemcumque scriberem; praesertim cum nesciam

sciam

sciam illam materiam ab aliquo jam tractatam fuisse: pauca igitur adhuc de hujusce libelli proposito atque divisione praemonenda sunt.

Titulus Codicis Napoleontici qui de separatione thori et mensae agit, sex tantum articulos continet. Videtur igitur ille titulus supplendus ex titulo de divortio, exceptis illis articulis qui spectant divortium per mutuum consensum, vel qui spectant dissolutionem matrimonii.

Si enim hoc non fiat varia sunt quae decidi nequeunt, cum de eis Tit. de separatione non loquitur: praeterea ex disceptationibus super Tit. 6. habitis et ex supra dictis patet, separationem tantum introductam esse in favorem Catholicorum; adeoque separatio thori et mensae videtur esse divortium Catholicorum: omnia igitur paria esse debent, exceptis eis quae spectant dissolutionem matrimonii, et eis quae speciatim de separatione statuta sint. Cf. *Cap. IV. §. 2.*

Dissertationem autem sic divisi, ut agat:

Caput I. De Causis ob quas peti potest  
Separatio thori et mensae.

Caput II. De modo quo separatio thori et  
mensae peti debeat et judicari.

Caput III. De modis quibus pendente lite  
conjugibus et liberis prospicitur.

Caput IV. De effectibus separationis thori et  
mensae.

Caput V. De eis quae de separatione thori  
et mensae in novo Codice Bel-  
gico constituta sunt.



C A P U T I.

DE CAUSIS OB QUAS PETI POTEST SEPARATIO THORI ET MENSÆ.



§. 1.

**O**ptime videtur posse]definiri separatio thori et mensae, quod sit facultas a iudice concessa separatim ab altero conjuge habitandi, soluta obligatione eum recipiendi.

Causae ob quas peti potest inveniuntur in *Art. 806*, ex quo patet separationem thori et mensae fieri non posse mutuo consensu; sed caeterum causas easdem esse ac ob quas peti po-

potest divortium. Hae recensentur in *Art.* 229. et sequentibus; scil. 1°. Adulterium. 2°. Excessus, saevitiae et injuriae graves; 3°. Condemnatio alterutrius conjugum ad poenam quae infamiam irrogat. Hasce causas igitur paulo latius explicabimus. Separatio thori et mensae non aequae ac divortium fieri potest mutuo consensu. *Art.* 307.

§. 2.

1°. Igitur, separatio peti potest, ob adulterium tum mariti tum uxoris; attamen ob adulterium mariti tum demum, si concubinam in domo communi habuit. Prima fronte haec legis dispositio videri posset paulo injustior; nam violatio fidei conjugalis eadem est, sive facta sit a marito sive ab uxore; sed multum differt ratione effectuum: adulterio uxoris enim liberi plane alieni in familiam mariti facile deducuntur eique obtruduntur; hoc autem ratio-

tione mariti locum non habet. Caeterum pudor uxoris prohibere videtur quominus maritum ob adulterium simplex accuset; sed si concubina in domo communi cohabitata, tunc intolerabilis uxori est injuria, eique jus dat separationem petendi.

Quaeritur autem, an haeredes mariti jus habeant uxorem adulterii accusandi, si maritus post accusationem, sed ante latam sententiam mortuus sit, eum in finem ut commoda uxori a marito facta revocentur? Jure Gallico antiquo illud facere poterant, quia illorum intererat quod condemnaretur. Hoc casu autem uxor amittebat commoda stipulata, et dos marito ejusve haeredibus adjudicabatur. Sed Codex Napoleonicus hac de re non loquitur, et sunt qui putent hanc facultatem haeredibus denegandam esse. Ratio differentiae est, quod jure antiquo actio adulterii principalis erat; sed jure novo actio ad impetrandam separationem thori et mensae principalis est, et adul-

terium tantum causa est ob quam impetrari potest; absurdum autem videtur, separationem petere quando maritus jam mortuus sit. Nobis vero videtur illud jus haeredibus etiamnum competere; patet enim ex articulis 336 et 339 *Codiciis Poenalis*, maritum posse uxorem adulterii accusare, et tamen separationem non petere; adeoque extat actio adulterii specialis. Porro *Art. 317 Cod. Civ.* haeredibus facultatem dat infantem legitimum negare omnibus casibus quibus maritus illud facere potest, adeoque etiam in casu adulterii: hoc casu igitur certe admittendi sunt ad probandum adulterium. Caeterum haec persecutio actionis ab haeredibus spectat tantum pecuniam.

Quod si maritus concubinam in domo communi habuit, separationem petere non potest ob adulterium uxoris.

---

§. 3.

2<sup>o</sup>. Ob excessus, saevitias, injurias graves, alteri conjugum ab altero factas. *Art. 231.*

Quid autem per has voces intelligatur, in lege expresse non dicitur; sed ex disceptationibus super *Art. 231.* habitis patet, per vocem *excessus* intelligenda esse talia facta, quibus vita alterutrius conjugum in periculum deducitur; per vocem *sevices* intelliguntur injuriae contra personam; per vocem *injures* injuriae verbales.

Quum autem lex omnes casus praevidere non potuerit, illud arbitrio judicum relinquendum est, an facta talia sint qualia a lege requiruntur ad separationem; quaesitum autem est, an iudices faciles an vero difficiles esse debeant in admittenda causa separationis? Sunt qui contendant eos, quantum salva lege fieri posset, separationibus debere indulgere. Mihi illud non videtur; nam separatio est malum



quod tantum admittitur ut majus malum praeveniat; familias enim dividit, liberis nocet, etc. Judices igitur medium tenere debent inter nimiam facilitatem et severitatem. Caeterum oportet eos maxime rationem habere personarum et rerum. Nam v. g. injuria satis gravis esse potest si facta sit uxori honestae, non autem si facta sit uxori quae malos mores habet; et facta quae non sufficiant ad separandum conjuges infimae classis, satis gravior esse possunt ut sint causa separationis inter conjuges melioris conditionis; illi mores inculcos habent et jam a prima infantia assueti sunt sermoni rudi, quod minime dico, quasi magistratus illam utilissimam classem debeant contemnere et juribus suis privare; sed quum remedium separationis detur, quando ulterior cohabitatio facta sit intolerabilis, exquirendae sunt causae quae eam talem reddunt; hae autem diversae sunt pro variis personis et conditionibus, et infima plebs continuis laboribus

bus quamdam apathiam moralem, ut ita dicam, contrahunt, eorumque animus non tam facile permovetur et cruciatur.

Alia etiam est causa separationis quae huc referenda est, quamvis non speciatim in lege exprimitur, scil. calumnia. Ea enim honor quo plerique homines nihil potius habent, adimitur; et nonne vita plane intolerabilis est cum conjugem qui alterum infamia obruit? Tribus potissimum modis calumnia locum habere potest: 1°. per accusationem judicialem criminis, 2°. per libellos famosos, aut per sermones, 3°. per delationes occultas. Vix opus est probare, conjugem qui se purgavit de accusatione capitali vel infamanti, ei ab altero conjugem intentata, jus habere separatim vivendi; lex quidem hunc casum expresse non definiit, sed nulla fere est saevitia vel excessus qui comparari possit cum injuria conjugis, qui tanto odio in alterum incensus est ut non dubitet in eum accusationem calumniosam intendere, qua illi

quod tantum admittitur ut majus malum praeveniat; familias enim dividit, liberis nocet, etc. Judices igitur medium tenere debent inter nimiam facilitatem et severitatem. Caeterum oportet eos maxime rationem habere personarum et rerum. Nam v. g. injuria satis gravis esse potest si facta sit uxori honestae, non autem si facta sit uxori quae malos mores habet; et facta quae non sufficiant ad separandum conjuges infimae classis, satis gravior esse possunt ut sint causa separationis inter conjuges melioris conditionis; illi mores inculcos habent et jam a prima infantia assueti sunt sermoni rudi, quod minime dico, quasi magistratus illam utilissimam classem debeant contemnere et juribus suis privare; sed quum remedium separationis detur, quando ulterior cohabitatio facta sit intolerabilis, exquirendae sunt causae quae eam talem reddunt; hae autem diversae sunt pro variis personis et conditionibus, et infima plebs continuis laboribus

bus

bus quamdam apathiam moralem, ut ita dicam, contrahunt, eorumque animus non tam facile permovetur et cruciatur.

Alia etiam est causa separationis quae huc referenda est, quamvis non speciatim in lege exprimitur, scil. calumnia. Ea enim honor quo plerique homines nihil potius habent, adimitur; et nonne vita plane intolerabilis est cum conjugate qui alterum infamia obruit? Tribus potissimum modis calumnia locum habere potest: 1°. per accusationem judicialem criminis, 2°. per libellos famosos, aut per sermones, 3°. per delationes occultas. Vix opus est probare, conjugem qui se purgavit de accusatione capitali vel infamanti, ei ab altero conjugate intentata, jus habere separatim vivendi; lex quidem hunc casum expresse non definivit, sed nulla fere est saevitia vel excessus qui comparari possit cum injuria conjugis, qui tanto odio in alterum incensus est ut non dubitet in eum accusationem calumniosam intendere, qua illi

honorem abripere conatur, qui semel amissus fere numquam recuperari potest. Quamquam calumnia per libellos famosos et sermones injuriosos primo aspectu non adeo gravis videtur ac per accusationem judicialem, fortasse adhuc vilior et perniciosior est; cum autem occulte agat, difficilius est se contra eam defendere, et conjux qui ea utitur ipse mendacium suum quasi profitetur, quippe qui timeat palam agere.

Quaesitum est, an communicatio luis venereae sit causa separationis? Mihi quidem non videtur; lex vero de hoc casu silet. Exstat apud MERLIN sententia, qua ob communicationem luis venereae separatio pronunciata sit; sed observandum, illam sententiam esse anni 1771, adeoque ante Codicem Napoleonicum. Jure antiquo Gallico autem nulla erat norma, secundum quam iudices judicarent, et causae separationis plane eorum arbitrio relinquebantur. Sed in Codice Napoleontico prae-

ter

ter adulterium et condemnationem ad poenam infamantem, causae determinatae sunt saevitiae, excessus et injuriae graves; in hanc classem communicatio luis venereae referri nequit. Quod principium secuta est Curia Cassationis, sententia 16 Februarii 1808, qua confirmatur sententia Tribunalis Palensis quod separationem hanc ob causam petitam rejecerat. Fieri tamen potest, quod adsint circumstantiae adeo aggravantes, ut referri possit in classem saevitiarum et injuriarum, vel certe excessuum; sed simplex communicatio causa non est. Conf. omnino MERLIN, *Repert. voce separation de corps* §. 1. n. 9.

§. 4.

3°. Condemnatio alterutrius conjugum ad poenam quae infamiam irrogat.

Quaenam autem sint poenae quae infamiam irrogant, docet *Art. 7. et 8. Codicis Poenalis*. Non autem hic agitur de poenis quas  
mors

mors civilis sequitur. Illae quidem per se infamiam irrogant; sed hoc casu matrimonium ipso jure dissolvitur, neque adeo ulla separatione opus est. Caeterum animadvertendum est, quod cōdemnatio pronunciata esse debuerit post nuptias contractas; si enim ante nuptias locum habuerit, conjux innocens sibi imputare debet, quod nuptias contraxerit, neque adeo hoc casu separatio peti potest.

---

---

**C A P U T I I.**

**DE MODO QUO SEPARATIO THORI ET MENSÆ  
PETI DEBEAT ATQUE JUDICARI.**

---

**§. 1.**

**N**on semper eodem modo proceditur ad separationem thori et mensae, sed pro causa diversus est. Si petatur ob condemnationem alterutrius conjugis ad poenam infamantem, paucissimae tantum solemnitates requiruntur. Sufficit scilicet quod actor libello supplice Tribunal civile adeat, eique libello adjungat exemplum sententiae quae condemnationem continet, addita



a Curia Justitiae Criminalis declaratione, illud iudicium nullo modo legali amplius infirmari posse: hisce inspectis Tribunal separationem pronunciare debet. Requiritur iudicium nullo modo legali amplius posse infirmari, si igitur condemnatus contumax sit, distinguendum utrum poenam sequatur mors civilis, an non? Priorre casu post quinquennium; posteriore vero tantum post viginti annos pronunciari potest, *Art. 476. Cod. d'Instruction Criminelle.*

§. 2.

Si separatio aliam ob causam petatur, actor Praesidem tribunalis civilis domicilii communis adire debet libello supplice, qui facta breviter narrat ob quae separatio petitur, additis instrumentis probantibus, si quae sint, *Art. 875. Cod. de Procedure Civile.*

Si autem libellus talia facta continet quae locum dare possunt accusationi Criminali, pe-  
ti-

tio separationis suspensa manet donec iudicium criminale factum sit, ex hoc autem iudicio, quaecumque sit, nulla exceptio in detrimentum actoris deduci potest quando rursus civiliter agatur. Fieri enim potest, conjugem nocentem in iudicio criminali absolvi et factum tamen satis grave esse ad separationem pronuntiandam. Si conjux nocens in iudicio criminali condemnatur, ne tunc quidem separatio semper sequitur, sed factum allegatum habetur pro probato, et tunc iudices iudicare debent an tale sit ob quod separatio pronuntiari potest. Si autem conjux in iudicio criminali condemnatus sit ad poenam quae infamiam irrogat, statim separatio pronuntiari debet ut jam vidimus. §. 1.

Si vero libellus nulla facta contineat quae accusationi criminali locum dare possunt, Praeses Tribunalis civilis conjuges coram se citat, die constituto, eisque ea dicit quae apta sunt ad reconciliationem efficiendam; si autem eam

consequi nequit, conjuges jubet iudicium persequi, neque opus est conciliatione coram iudice Pacificatore; uxori auctoritatem dat in iudicio sistendi et stante iudicio in domo peculiari habitandi, *Art. 878 Cod. de Proced. Civ.*

Non autem necessaria videtur conciliatio coram iudice pacificatore, quamvis illud primo adspectu repugnat *Art. 878* qui sic se habet: « il rendra une seconde ordonnance portant, « qu'attendu qu'il n'a pu concilier les parties, « il les renvoie à se pourvoir, sans citation « préalable, au bureau de conciliation.» Sed manifestum est virgulam, quae est post vocem *préalable*, errore typographico intervenisse, quamvis adsit etiam in editionibus publica auctoritate editis, non autem invenitur in specimine codicis, et analogiae juris est contraria, nam conciliatio coram iudice pacificatore foret inutilis si jam locum habuit coram Praeside Tribunalis qui superior iudici pacificatori est. Porro lex separationem bonorum locum habere

voluit sine praemissa conciliatione (*Art. 49 §. 7. Cod. Proced. Civ.*); igitur admitti non potest ratione separationis thori et mensae quam semper sequitur separatio bonorum, caeterum apertum etiam est ex disceptationibus super hunc articulum habitis, conciliationem coram Judice Pacificatore in casu separationis thori et mensae necessariam non esse (\*).

Caeterum eadem forma observatur ac in aliis

. cau-

(\*) Verba haec sunt « l'ordre public, disait M. BER-  
 « LIER, serait peu satisfait si l'on ne procedait ici aux  
 « voies de conciliation que comme dans les autres causes  
 « ordinaires. Il faut ici à raison de la gravité des circon-  
 « stances, un magistrat plus éminent pour exercer le minis-  
 « tère de paix et de conciliation, et c'est le president mê-  
 « me du tribunal que la loi désigne, on ne pourra d'abord  
 « s'adresser qu'à lui et il devra entendre les époux . . . .  
 « les époux seront donc tenus de comparoître en personne,  
 « et le juge tentera de les rapprocher, s'il échoue dans  
 « cette noble tentative, et après qu'il aura désigné la mai-  
 « son où la femme pourra se retirer provisoirement, la pro-  
 « cedure suivra son cours.» Per vocem procedure enim  
 intelligi nequit conciliatio.

cansis, salvis tamen paucis exceptionibus. Cognati, exceptis descendentes non possunt tanquam testes refelli ob solam rationem familiae, neque famuli ob rationem servilis conditionis (*Art. 251 Cod. Civ. Cf. Art. 283 Cod. de Proced.*) nisi accedat alia fortasse causa si v. g. ad poenam infamantem condemnati fuerunt.

### §. 3.

Variae sunt exceptiones quae actori opponi possunt v. g. si uxor quae e domo communi exiit non remansit in domo a Tribunali indicata (*Art. 269. Cod. Civ.*); si Tribunal non legitimum sit; si maritus qui separationem petit ob adulterium uxoris, ipse concubinam in domo communi habet *Art. 336. Cod. Poen.*; nulla vero exceptio proponi potest si petatur separatio ob condemnationem alterutrius conjugis ad poenam quae infamiam irrogat; tunc enim

enim nulla est lis, sed sententia statim pronuntiatur.

Sed principalis et frequentissima exceptio est reconciliatio; quum enim separatio petatur ideo quia ulla ulterioꝝ cohabitatio facta sit intolerabilis, haec causa reconciliatione cessat; si igitur reus contendit reconciliationem intervenisse post facta ob quae petita est separatio, admittitur ad probationem, quae tum scriptura, tum testibus fieri potest. Quaeritur autem, an gravitate uxoris reconciliatio probatur, videtur distinguendum, nempe si uxor separationem petit, reconciliatio probatur; nam contendere nequit se ex alio quam marito concepisse, nemo enim auditur suam turpitudinem allegans; si vero maritus actor est, tribunal ea de re judicare debet, fieri enim potest ut graviditas uxoris nova injuria marito sit, praesertim si separatio ob adulterium petatur.

Alia etiam est exceptio, quamvis non tam frequens, si scilicet conjux qui separationem

tho-

thori et mensae petit, primo tantum separationem bonorum petit; praesumi enim nequit, conjugem, qui excessus aut injurias passus est tales, quales sufficiunt ad separationem thori et mensae, tantum separationem bonorum petere qua nullam cautionem contra illas acquirit.

Si probata est reconciliatio actor hac exceptione refellitur; sed si postea nova causa separationis superveniat non tantum separationem petere potest, sed etiam uti priscis causis, *Art. 273 Cod. Civ.*

---

**C A P U T I I I.**

**DE MODIS QUIBUS PENDENTE LITE CONJUGIBUS ET LIBERIS PROSPICITUR.**

---

**§. 1.**

**Q**uam liberi non tantum in casu separationis impetratae, sed etiam dum inter parentes de separatione agitur, attentione legislatoris maxime digni sunt, lex etiam iis providit, et Tribunali auctoritatem tribuit, rogante matre vel procuratore regis, de iis disponendi eo modo quem utilissimum iis ducit, si vero nemo sit qui rogat Tribunal ut liberis curet, eorum cu-

**D****ra**



re manet penes patrem, sine discrimine an sit actor an non. *Art. 267.*

§. 2.

Quod ad conjuges, etiam succurrendum fuit nimiae animi facilitati uxoris, quae solita erat in marito columen suum ponere, nunc vero non tantum ejus praesidio destituta, sed etiam ejus odio obvia est; ei licet domicilium mariti relinquere, sed tunc a Tribunali domus indicatur in quam se recipere debet.

Cum autem bonorum separatio nondum intervenit, maritus solus administrationem bonorum habet: fieri igitur potest ut uxor non habeat unde se sustentet; hoc casu Tribunal determinat quantitatem alimentorum quae illi a marito solvenda sunt.

Permissio relinquendi domicilium commune, uxori tantum data est ut non cogatur cum marito cohabitare, qui contra illam vel contra quem

ip-

ipsa separationem petit; non vero ut ei occasio daretur immoderate vivendi. Debet igitur in domo indicata manere; nam cum separatio nondum pronunciata est, mariti interest ut uxor non contra bonos mores vivat, adeoque necesse est ut posset ei attendere. Si uxor in domo indicata non remansit maritus defungitur obligatione ei alimenta praestandi, et si uxor separationem petit, a marito hac exceptione repellitur potest. *Art. 268.*

### §. 3.

Bonorum communio, si locum habet, tantum dissolvitur pronuntiatione sententiae, cum autem accidere posset, quod maritus, qui administrationem communionis habet, post petitionem separationis auctoritate sua abuteretur ut bona communia dilapidaret vel sibi fraudulenter usurparet, uxor sive sit actor sive non, potest rogare ut res mobiles ad communionem

pertinentes obsignentur, hoc autem tantum fieri potest post primum edictum Praesidis Tribunalis quo conjuges citantur.

Sigilla tolli non possunt nisi inventario et aestimatione factis, et insuper maritus res in inventarium relatis producere debet vel se depositarium judicialem earum constituere; depositarii judiciales autem secundum articulum 2060 *Cod. Civ.* carcere possunt cogi.

